



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Methodus S. Ignatii De Loyola Ducens Animam ad Perfectionem per Exercitia Spiritualia

Vatier, Antoine

Dilingæ, 1689

Qvinta Dies Exercitiorum. Occupationes quintæ Diei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60263)

QVINTA DIES
EXERCITIORUM

Occupationes quintæ Diei.

DISSERTATIO.

De Imitatione Christi.

- Meditatio I. De Circumcisione Christi.
 II. De Fuga Christi in Ægyptum.
 III. De Vita Christi ab Anno x-
 tis duodecimo usque ad
 Trigesimum.

ET hanc ultimam oportebit repetere, si be-
 assumpsisti, quam hic de Circumcisione po-
 nimus.

Si verò heri de Circumcisione meditatus es,
 ut hodie quatuor alias diversas meditationes
 obire possis, in alium illarum ordinem, quem
 tenere poteris.

- Meditatio. I. De Oblatione Christi in Tem-
 plo.
 II. De Fuga Christi in Ægyptum
 III. D

I. *Meditatio. De Circumcisione Christi.* 341

III. De itinere Christi duodennis in Jerusalem:

IV. De Vita Christi ab Anno duodecimo utque ad Trigesimum.

Ex libello exercitiorum lege regulas observandas in distribuendis Eleemosynis, & quæ ad scrupulos pertinent,

Ex Thoma Kemensi. De Circumcisione Christi. Cap. 11. 12. & 16. lib. 3.

De Oblatione Christi. Cap. 17. 35. & 37. lib. 3.

De Fuga Christi in Ægyptum. Cap. 38. 40. 41. lib. 3.

De Itinere Christi duodennis in Jerusalem. Cap. 42. & 44. lib. 3.

De Vita Christi ab Anno duodecimo usque ad Trigesimum. Cap. 53. & 55. lib. 3.

Consideratio erit de Conditione, in qua veris, officio, occupationibus & usu temporis.

Meditatio.

De Circumcisione Christi.

Oratio præparatoria ordinaria.

I. PRÆLUDIUM. Cùm illuxisset Octava Dies, qua circumcidi masculos recens natos oportebat, obsequuntur huic legi S. Joseph, & sponsa puerpera. Et hæc quidem jacentem in

Y 3

finu

sinu suo JESUM sustinet, Joseph autem circum-
cisionis legi obsecutus, præputium puello reso-
cat, idque sponsæ Genitrici tradit, quæ illud so-
llicitè asservat, & linteo Divinum Sanguinè ad
Religiosam custodiam colligit. Completo dein
actu, novo Filiolum nomine, dudum antè De-
vinitus revelato, JESUM nuncupant.

II. PRÆLUDIUM. Imaginabor mihi cubicu-
lum, ubi sacrosanctum hoc mysterium peractum
est, & patientem ibi JESULUM cum debita
Reverentia contemplanor.

III. PRÆLUDIUM. Gratiam postulabo, clarè
penetrandi, tenerè diligendi, & exercendi fide-
liter perfectam Obedientiam, profundam Humi-
litate, & patientissimam Egestatem JESU
Magistri & Regis mei, qui illas in Circum-
sione sua ideo amplexus est, ut ad amoris me-
cietatem incitaret.

I. P U N C T U M.

Obedientia.

Consideranda.

Contemplanor perfectam ejus obedientiam. 1. Obsequitur mandato perquam difficili,
quod servis & peccatoribus duntaxat erat im-
positum, & à quo ipse manifestis Legis ejus-
dem verbis eximebatur, cum hæc dicat: Cir-
cum.

circum-
illo refe-
illud so-
ainé ad
eto dein
té Di-
cubicu-
eracti
debita
clare
di fide-
m Hu-
JESU
circum-
meSo-
dientia
fili,
at im-
ejur-
Cir-
cum-

circumcidi debere octava die masculinum, viri operi conceptum. 2. Lubens ab aeterni Patris sui providentia accipit loci, temporis, cultri, molestias, omnéque leniendo dolori deficiens solatium. 3. Acceptat & impositum sibi à Patre nomen, omnémque in tam grandi nomine comprehensam obligationem.

Affectus.

1. Hem robustas obedientiae vires, quae suis legibus omnipotentiam valet subdere! Ut quid & ego valido robori nondum cessi. 2. En obedientiae Religiosum rigorem, quae vult iis quoque nos obsequi legibus, quibus non nisi quoad apparentiam per communem vulgi sensum tenemur! Quantum ego virtutis hujus adversatum sum juribus, neque illis fideliter obtemperans, quibus manifestè obligabar! 3. Grandem enim verò, & prorsus admirabilem Obedientiam tuam, ô mi JESU! quae res tibi adeo difficiles imperavit, ut qui humanis duntaxat oculis Te contuetur, injustas esse, & iniquissimè juberi sentiat. Et ego quàm proinde scelestus fui, qui leges & justas, & sanctissimas pravaricari ausus sum! 4. Obedientissime JESU, ego ejusmodi tuum in me dominatum esse lubens, & ultro factor, quome, quantum obedientiae se extendunt vires, tantum ad serviendum tibi, potes ob-

stringere. Nunquam certè tam difficile quidquam imperabis, quàm illud sit, quod jam nunc te video experiri: quid enim prodigiosius, quàm ut, qui est ipsa per essentiam sanctitas infamem, & dolorificum peccatoris characterem toleret? 5. Ditco sanè, quàm impudens ego sim, si factò inter ea, quæ jubentur, pueriliter discrimine, non omnia ultro & promiscue amplectar: Amabilis enim Infans, tam generosè ad hoc adeo & infame & dolorificum se vulnus offert, quàm ad omnia, quæ passim alioquin imperata sunt; tam promptè hoc mandatum excipit, quàm gloriosum illud & ter admirabile Nomen JESU. Hoc est verè & proprie obedire.

II. PUNCTUM.

Humilitas.

Consideranda.

Consideremus profundam & ad usque nihil abyssum demersam Humilitatem Filij DEI.
 I. Abscondit sanctitatem suam infinitam, impeccabilitatem suam, admirandam illam sanctificatoris hominum dignitatem. 2. Non recusat peccatoris symbolum, & pro tali in communi hominum opinione existimari sustinet. 3. Plorat, ut cæteri infantes, doloris ur-

gentem vehementiâ. 4. Nominis sui Majestatem laedere vult, quando paucissimis id voluit innocere.

Affectus.

1. Ecquis Verecundiam tibi persuadebit homo superbe, si Jesu circumcisi ad exemplum non erubescis fastum tuum? 2. Nimirum, ô Magne DEVS, sicut solus tu es, & unicus, qui plene excellentiæ tuæ ineffabile Numen, & inexplicabilem peccati vilitatem comprehendis, in nulla mens assequi satis potest Humiliatione mihi Tu, filiusq; tuus, quâ hic peccatorum infamem notam tolerare voluit. 3. Absorbe, ô abyssus humilitatis infinita! abyssum superbiæ meæ, & hoc saltem in me perfice, ut ne honores illos deinceps ambiam, quibus planè indignus sum, quandoquidem DEI Filium illis video notari ego hominibus, quibus justè obnoxius nunquam paruisset fieri. 4. Ah, quàm ego longè à Salvatoris mei discessi vestigiis, usque adeo illis me seducens vituperiis, quæ tot pridem titulis conuerui? Nunquid decens ergo deinceps esse judicabis, ut, si qui palàm fient defectus tui, eos tu puerili metu erubescas? ut excuses eos, antequam ullus de illis sermo incidat? ut in aliam obijurgationem tibi debitam declines, ne tibi obveniat? 5. O JESU humillime! annihila super-

perbiam meam omnipotentis humilitatis virtute. 6. Hæc ergo eundem deinceps erit. Eius ducis mei vestigia, en doctrinam Magistri, & Regis mei illustrissima exempla! 7. Atqui frustra nunquam attinges eò, quò ipse pertigit. Plurimum enim ignominiarum, quàm usquam evenire non possit, es commeritus. Nunquam infelicior nunquam vulgo videberis despiciator, quin vilior adhuc sis in conspectu DEI tui. Hoc saltem agam, ut æquo feram animo, si quæ de me culpam suboritura est suspicio, quæ innocentem me premat, & culpæ me reum arguat, cuius conscius non sum.

III. PUNCTUM.

Paupertas & Tolerantia.

Consideranda

Pauper erat DEI filius, & patientissimus. 1. In sustinendo acerbissimo dolore, quem terriberrima in carne sensit, quòd culter procul doloris acie non valeret nimium, atque ideo dolorem auget. 3. In sustinendis temporis, & loci incommodis. 4. In solatij, quòd ditioribus facile suppetebat, defectu. Attentè hæc omnia considerabo, & profundè menti imprimam sublimem hanc Cœlestis Magistri mei doctrinam, & admirandas Regis mei virtutes, quarum

rum perfectio cum agentis ætate proficit. Est enim hic & obedientia magis jam ardua, & humilitas extremum amplectitur contemptum, paupertatem acerbi dolores ambiunt. Ex his dolorem, quid pretij, & amoris mea propria voluntas, Honor, & delicia mereantur.

Affectus.

1. Quàm citò, ò mi JESU, Divinum pro me sanguinem tuum incipis effundere! Nunquid pignoris loco sunt hæ guttulæ, quòd, cùm virilem ætatem attigeris, daturus sis omnem ad summam usque guttulam? 2. Ut adolescas in Verum dolorum, quid erat convenientius, quàm ut ipsam infantiam his doloribus tuis initiates? 3. Et est sanè plena doloribus infantia tua, Caro tua sacratissima inciditur, sanguis effunditur cum dolore, ob peccati, quod nullum in te locum habere potest, apparentiam. Animus adeo ipse affigitur, & vita parùm à morte distat ob acerbum illum dolorem, quem ex peccatis nostris, que tu luis, concepisti. 4. Utriusque doloris origo est Innocentia tua candidissima; hæc enim eò te permovit, ut dolorem Circumcisionis admitteres, ne scandali occasionem illis dares, qui ignari gloriosæ & admirabilis conceptionis

ptionis tuæ , pro legis prævaricatore te habere poterant. Hæc fecit , ut ex charitate dolorem amplectereris, ortum ex æterni Patris tui iustitiam indignatione , & infelicitate offendentium tuorum. 5. Doce me, quàm acerbè, non appatens, sed plane inficiens me peccatum sentire debeam, cum ejus te umbra tam acerbè afflixerit. 6. Eja peccatrix caro mea, nimis hucusque tenerè tractata, quid dolorum non es merita? Tu verò carissime innocentissima Salvatoris mei dolores hos tuos in scelestum hoc cadaver exonera, quod huic vulneri fecit obnoxium. 7. Non fallitur æterna sapientia : quid ergo miser peccator facies, cum innocentiam sub his doloribus laborare viderit!

Colloquium cum JESV Rege, & Magistro meo instituum, adorando Divinas Ejus virtutes, meâsque imperfectiones execrando, veniamque petendo negligentia quam admisi, tam legniter discendo, tamque imperitè imitando Divinam Ejus doctrinam, Regiâsque virtutes Precabor postmodum, ut ad profectum ex sanctissimis ejus exemplis ita me adjuvet, ut pro eo ac desiderat perfectionem meam, illam quoque omni studio procurem. Denique totum me ad continuò ordiendum, quod statui, Salvatori meo consecrabo, imploratis Matris Virginis sanctis

sanctissimique Ejus Sponsi in præsentem rem
suffragiis.

Compendium Meditationis

De Circumcisione Christi.

Oratio Præparatoria.

I. PRÆLUDIUM. Cùm illuxisset octava dies,
circumcidit Josephus Parvulum jacentem in
Virginæ Matris sinu: quæ præputium unâ
cum sanguine collegit, pretiosi instar thesauri,
utrumque asservans. Ab utroque deinde Paren-
te novum SALVATORIS Puello nomen cœ-
lestis acceptum, datum fuit.

II. PRÆLUDIUM. Contemplari Josephum
circumcidentem cultro Parvulum, quem Ma-
ter, dum inciditur legale vulnus, tenuit.

III. PRÆLUDIUM. Gratiâ petere, qua
cognoscas, ames, & imiteris obedientiam, Hu-
militatem, & paupertatem Salvatoris Nostri.

I. PUNCTUM. Obtemperavit. 1. Legi
sævè, & quâ ipse ne tenebatur qui-
dem. 2. Æquanimiter admittit omnes loci
temporis, & cultri molestias, omnisque solati
defectum. 3. Nomen sibi impositum cum omni,
quam illud complectebatur, obligatione vo-
lens lubens acceptat.

II. PUNCTUM. Humiliat se. 1. occul-
tan-

tando sanctitatem suam infinitam, impeccabilitatem suam, & sanctificatoris dignitatem. 2. Sponte sustinendo peccatorum characterem neque recusando, quin palàm pro tali habetur. 3. Lachrymando non secus, atque alii Infantes solent. 4. Occultam servando gloriam Nominis sui Majestatem.

III. PUNCTUM. Paupertatem exercet. 1. In acerbissimo corpusculi sui dolore. 2. Sustinendo ictum cultri, tantò magis dolorificum, quantò debilior procul dubio fuerit acies. 3. Abmittendo temporis & loci molestias. 4. Quòd careret illis ad rem hanc solatiis, quibus ditiores abundabant.

In Colloquio, Veniam petes, quòd tam seigniter, tam illustres Domini tui Virtutes amulatus sis; gratiam deinde ad emendationem petes, ad eamque confestim inchoandam te offeres.

Meditatio

De oblatione Christi in Templo,

Oratio præparatoria ordinaria.

I. PRÆLUDIUM. Elapsis à Nativitate Salvatoris quadraginta diebus proficiscitur Virgine Mater ex Bethlehem Hierosolymam, sponso Josepho Comite, eoque Filiolum suum defert, illi nimirum legi obsecuti, quæ & purificari puer-

puerperas, & primogenitos masculos DEO offerri iusserat. Senex Simeon sancti Spiritus hortatu, qui ei Messiae ante mortem conspectum promiserat, ingredientibus in Templum sit obviam, & acceptum in ulnas suas Divinum infantem DEO inter operosas laudes offert, & prodigiosa quaedam de illo vaticinans, utrumque Parvuli parentem admiratione implet. Tum ad gloriam Matrem conversus, filij ærumnas & acerbos, quos inde perceptura esset, dolores prædicat. Supervenit Anna Prophetissa, quæ ita in DEI laudes effusa, varia deinde de parvulo loqui incipit ad, quotquot aderant, præsentem, & expectantes Redemptionem Israël. Joseph puerperum imitatus mortem duos turtures, aut pullos columbarum pro redimendo filiolo offert, quibus Simeon acceptis Divinum pignus Matri & Sponsorestituit, atque ita completis iam omnibus, quæ legis jubebantur auctoritate, in Galilæam Nazarethum redeunt.

II. PRÆLUDIUM. Jerosolymitanum mihi templum imaginabor, & altari proximus Simeonem videbo, qui amplexus Divinum Infantulum æterno Patri Eum offerat.

III. PRÆLUDIUM. Gratiam postulabo concupiscendi, amandi, & exercendi obedientiam perfectam, profundam Humilitatem, & patientissimam.

tissimam Paupertatem, ad exemplum, & amore JESU Redemptoris, Magistri, & Regi mei, qui illas in præsentatione sua amplexus est, ut ad earum nos amorem incitaret.

I. P U N C T U M.

Obedientia.

Consideranda.

Suspice obedientiæ Filij DEI Celsitudinem
 1. Legi obtemperat, qua non obligabatur magis, quàm Mater Bjus sanctissima ad purificationem teneretur. 2. Implet Vaticinia, quæ de sua præsentatione facta sunt. 3. Ex intimo cordis affectu æterno Patri immolandum se dedicat, ad Humani generis Redemptionem, quoniam hanc esse Patris sui voluntatem novit. 4. Acquiescit & in eo, ut sanguis, infinitis mundis pro lytro sufficiens, efficaciam salutarem non nisi pauculis impertiat, perdantur verò cæteri, & hos inter etiam aliqui, quorum æterni exitij ipse futurus esset occasio, pro eo, ac Sempronius prædixerat. 5. Contentus est, ut juxta æterni Patris voluntatem prodigiola quædam de se dicerentur. 6. Patitur ad Sanctum senem deferri se, ut & Sancti Spiritus promissis, & precibus, quæ seni inspiraverat, desideriis satisfacere.

7. Portari, & tractari pro Majorum arbitrio se permittit.

Affectus.

1. Magister optime! quàm sublimis est doctrina tua, quàm ardua obedientia tua! Nunquid dulcius tibi est obedire, quàm vivere, cum vivere nolis, nisi ut obedias? 2. Ah! Domine, quàm longè ego ab hac virtutis tuæ celsitudine discessi! quàm segnis fui in faciendis, quæ mei erant officij, quæque exemplo tuo tam sancti pretiosa? 3. Legi tu obtemperas, quæ non obstrinxit, cum manifestè tales illius essent termini, quibus te neutiquam vellet comprehensum. Sed obtemperas, quia ita velle æternum Patrem tuum intellexeras. Hæc voluntas alimenti, hæc omnium tibi ciborum loco est. 4. Et ego impudens, cum quid paulò imperatur molestius, cunctari primùm, deinde excusationes obtendere, tandem. & manifestè recusare, quod jubeor, non erubesco. Quid respondebo tibi, si tam severè inobedientem dominum naturus es, quàm tenerè obedientiæ perfectionem diligis? 5. Sed, quanti ego facere deæcem obedientiam, me doces, cum vitam tuam ad hoc momento sacrificij instar æterno Patri dedicas, ne vivere quidem volens, nisi ut ad ultimum ætate moriturus præceptum illud impleas,

Z

pleas, quod, cum vivere inchoares, accepisti
 6. Etiamne permittum mihi deinceps arbitra-
 bor, iussa, utcunque aspera delinare, cuiusque
 contraire imperiis, ut, quæ mihi allubescunt, per-
 agam? 7. Eja dedicemus nos, anima mea, cum
 bono JESU, ut vivere jam vel mori jucundum
 non sit aliter, quam quâ ratione, quove tempo-
 re gratum erit DEO. 8. Cave limitaveris hoc
 propositum: Offer te promiscuè & sincerè ad
 omnia, quæ DEUS circa te statuet, neque puta
 aliquid tibi tuisque rebus obvenire posse salo-
 brius.

II. PUNCTUM.

Humilitas.

Consideranda.

Profundissimam mirare Humilitatem. 1. Ho-
 milis est in se. 2. Humilis in omni apparatu
 suo. 3. Non vult haberi nisi Fabri Josephi Fi-
 lius. 4. Majestatem suam non nisi coram pau-
 perculis quibusdam vult manifestam fieri.
 5. Quidquid audit præconiorum suorum, ut
 non intelligeret, se gerit. 6. Unicè jam emittit
 ad prædictam sibi crucis ignominiam anhelat.
 7. Non vult redimi, nisi pauperum lyra.
 8. Fugit locum, in quo laudes suas audire de-
 buit.

Affectus.

1. Quàm mirabilis, ô Magne Redemptor, est ratio, qua Redemptionem nobis nostram palàm manifestas? Quantam, ô Magne Princeps! celas Majestatem, cum primum in supremam Regni Majorum tuorum Metropolim ingressum celebras? Quàm mirabili te ornas habitu, ô magne Pontifex, cum primum Pontificatûs tui publicè possessionem capis, et quæque ordiris obire munera? Omnis splendor tuus in hoc comprehenditur, quòd ignotus, contemptus, rejectus sis. 2. Ah! Domine, etiamne verum ego potem esse, quòd credam doctrinæ tuæ? nunquid contrarium opera mea evincunt? Quòd si verè tibi crederem, aliquidne possem facere ab eo, quòd tibi solenne esse video? 3. Ubi verò sunt vanitates illæ, ubi desideria popularis famæ, ubi horror ille, quo pauperes, & quidquid vilitatem quantum lapit, fugio? ubi humanæ existimationis puerilis ambitus, ubi voluptas illa, quam ex honore meo captare miser soleo? ah quàm parvum fidei, & quantò adhuc minus fidelitatis in animo meo circumfero! 4. Quàm diversis vitæ meæ à sanctissimis moribus tuis, utitur legibus! Tu fugis honorem, quem tanto ego studio accupor: Tu ad laudum tuarum nobilem

commemorationem nullo dulcedinis sensu tangeris; ego ad quem vis popularis auræ sibilum, mirum est quàm mihi blandiar: Tulam dari renuis, nisi hoc ipsum in aliorum salutem vertatur; ego etiam cum detrimento proximi mei honores mihi & præconia procuro. 5. Veniam, ô Bone DEUS, admissi negligentis benignus indulge, & gratiam, quæ emendem, quod erratum est, largire; ita per illud te desiderium obtestor, quo profectum meum cupis, perque profundissimam illam, quam in te admiror, Humilitatem.

III. P U N C T U M.

Paupertas & Tolerantia.

Consideranda.

Paupertatem intuere Filij DEI, & quantum pro te passus sit. 1. Pauper enim est in factis, quibus involvitur, vilitate. 2. In Parentibus. 3. In ipso præsentationis ritu. 4. In itinere. 5. In sua ad Templum profectio. 6. In paupere Nazarethi domicilio. Hæc omnia attentè considerabo, ut profundè menti imprimam altissimam hanc doctrinam Magistri mei, & admiranda Regiarum virtutum exempla, cum ipsa identidem ætate crescentium. Hic enim

etiam obedientia ad mortem se offert, & præparat, sedque omne sponte amplectitur, quod placitum æterno Patri noverit! Humilitas Virgo, Cruci, & quantæcunque inferri possunt, contemptuum formis se subiicit; & paupertatis affectu illud intus jam sentire incipit, quod paulò post ipso etiam opere experturus est. Ex quibus omnibus intelligam, quo pacto amari debeant propria voluntas, honores & delicia.

Affectus.

1. O Rex Israël gloriose, quàm diversa est ab aliorum Regum curiis Aula tua! Nunquam cerere adducar, ut credam, non aliis te ornamentis potuisse spectabilem temet facere, sed sponte, scio, à te electam esse hanc in omni apparatu tuo vilitatem. Ita nimirum docere me voluiti, illam tibi nobilitatem probari, quæ intus in animo cùm lateat, spiritali ornatu, & corporibus, & pulchritudine divinis oculis animam facit commendabilem. 2. Quantum, mihi JESU, stultissimos conatus meos tu confundis, quibus nil nisi vanas vitæ hujus delicias, & æternis blandimenta conquiro. 3. Nisi fallor, Coronæ tuæ hodie accedis possessionem, quando tantæ tibi calamitates, quas omnes salutis meæ studio suscepturus es, præcununtur. 4. Si-

Z 3 len-

lentium illud tuum, & amabilis ille risus, quo
 excipis Vaticinia, nunc indubia sunt alacritatis
 argumenta, qua, quæ tibi prædicuntur,
 eminus jam amplecteris. 5. Exultat, sat scio,
 generosâ tibi animus lætitiâ, dum singillatim
 tecum ipse consideras, quæ tristis tibi, Mater
 que tuæ Vates cecinit. Jam Crucem, spinas,
 flagella, clavos, & totam mortis tuæ supelle-
 tiliam amplexaris. 6. Neque tantum offertur
 menti tuæ tormentorum, quin ampliora
 insatiabili cupidine desideres: ad dolorum igitur
 quotidiana incrementa te offers, satis ni-
 mirum gnarus, gratuitum favorem ab æterno
 Patre tuo alium non posse tibi obtingere, quam
 occasiones patiendi pro ejus honore plurimas;
 si quid enim ad felicitatem, gloriâque tuam
 conducit, unioni illi admirabili Humanita-
 tis tuæ cum VERBO Patris debitum esse, nôdum
 7. Fac per gratiam tuam, ut ego inertiam meam
 amerubescam, ut experrectâ ab ignobili ve-
 tero animâ meâ, suavitatis aliquid etiam in
 cruce sentiam. 8. Fac ut sibi moriens, tibi
 vivat; amet, quæ acerba sunt; quæ blanda, labo-
 tari odio abominetur.

Colloquium ad JESUM Regem & Magi-
 strum meum dirigam, adorabo perfectiones
 ejus, meos errores detestabor, veniâque pe-
 tam,

tam, quòd tam imperitè Divinas Ejus doctrinas & addiscere, & imitari studuerim, parùm de faciendo ex sanctissimis ejus exemplis profectu sollicitus, quo tamen ipse nihil optabat, vehementius. Demum ad emendationem jam nunc inchoandam me offeram, imploratis Beatissimæ Virginis, S. Josephi, S. Simeonis & S. Annæ suffragiis.

Compendium Meditationis.

De Oblatione Christi in Templo.

Oratio Præparatoria.

I. PRÆLUDIUM. Exactis à puerperio quadraginta diebus Joseph & Maria puerum JESUM in Templum deferunt. Ibidem & Simeon comparet, ductus illuc à S. Spiritu, & Parvulum in ulnis tenens, eundem æterno Patri inter animi exultantis vota dedicat; vaticinatur deinde, quidquid & Matri & Filiolo impendebat; supervenit & Anna prophetissa, & ipsa in ejusmodi cum Simeone gratulationes effusa. Joseph redempto Filiolo, expletis omnibus, quæ lex imperaverat, in Galilæam Nazarethum revertitur.

II. PRÆLUDIUM. Intueti Christum jacentem in ulnis Simeonis, offerentis illum æterno Patri suo.

Z 4

III. PRÆ-

III. PRÆLUDIUM. Gratiam petere ad cognoscendam, amandam, & imitandam Obedientiam, Humilitatem, & Paupertatem Salvatoris.

I. PUNCTUM. Obsequitur Dominus. 1. Legi, qua non adstringebatur. 2. Vaticiniis de se factis. 3. Offert se æterno Patri, tanquam futuram pro salute nostra victimam. 4. Non recusat Sanguinis sui pretiosissimi jacturam frustra pro tot reprobis subeundam. 5. Permittit præstantia & magna quædam de se, quod ita fieri æternus Pater vellet. 6. Promissum implet factum Simeoni. 7. Portari se patitur, quoquo versum lubebat Parentibus.

II. PUNCTUM. Humiliat se. 1. Paupertibus panniculis involutus. 2. Nihil secum afferens apparatus. 3. Quod publicè pro Josephi filio vellet haberi. 4. Occultando coram terræ magnatibus Majestatem suam. 5. Audiendo laudes suas, quasi illas non intelligeret. 6. Suspirando anhelis desideriis ad crucem, & tormenta sua. 7. Quod redimi vellet lytro, quo pauperes solebant. 8. Fugiendo quasi illo loco, ubi laudes & præconia sua audiebat.

III. PUNCTUM. Paupertatem exercet. 1. In panniculis suis. 2. In Parentibus pauperum. 3. In ipso oblationis ritu. 4. In lytro.

In accessu ad Templum & recessu. 6. In aditu
celi Nazarethana, ubi habitare & educari vo-
luit.

Meditatio.

De Fuga Christi in Ægyptum.

Oratio Præparatoria ordinaria.

I. PRÆLUDIUM. DEUS prævidens insidias,
quas Herodes in vitam Christi machinabatur,
in crudele propositum executioni mandare-
tur, misit Angelum ad S. Josephum, qui exitum
ad certum tempus ex Judæa imperaret: prius-
quam igitur ea publicarentur, quæ in Templo
acta sunt, quando Redemptor noster Cœlesti
Patri presentatus est, circa mediam noctem
Angelus Domini apparuit in somnis Joseph,
dicens: Surge & accipe puerum & Matrem
Ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, usque
dom dicam tibi. Futurum est enim, ut Hero-
des querat puerum, ad perdendum Eum. Qui
insurgens accepit puerum, & Matrem Ejus
nocte. & secessit in Ægyptum, & erat ibi us-
que ad obitum Herodis. Defuncto autem Hero-
de, ecce Angelus Domini apparuit in som-
nis Joseph in Ægypto, dicens. Surge & accipe
puerum & Matrem Ejus & vade in terram
Israël. Audiens autem, quod Archelaus re-
gnaret

Z s

gnaret in Judea pro Herode Patre suo, timens illo ire, & admonitus in somnis secessit in partem Galilae, & habitavit in Nazareth.

II. PRAELUDIUM. Imaginari sibi Christum Parvulum in horrida solitudine cum Matre sua & Josepho.

III. PRAELUDIUM. Petere gratiam cognoscendi clarè, tenerè amandi, & fideliter exercendi, perfectam ejus obedientiam, profundissimam Humilitatem, & paupertatem patientissimam; omnia admirationem, & ex amore JESU Salvatoris, Domini & Regis mei, qui virtutes has in Aegypto ca fuga sua ideo amplecti voluit, ut earum studium mihi persuaderet.

I. PUNCTUM.

Obedientia.

Consideranda.

Expende obedientiae filij DEI perfectionem quã exercuit. 1. Quoad tempus fugae. 2. Quoad locum ab aeterno Patre praescriptum, tam in fuga, quàm in reditu. 3. Quoad ipsam rationem sane asperi rationem. 4. Quoad tempus duraturi exilii non determinatum. 5. Quoad omnia, quae se toleranda offerebant. 6. Quoad

populum, ad quem fuga debebat institui, Idololatram, & electi populi inimicum infestissimum. 7. Quoad exilii diuturnitatem, utpote, quæ aliquot annos tenuit. 8. Neque negligendæ sunt innocentes blanditiæ, risus amantissimi, quibus Divinus infans in hac obedientiæ exercitatione cum sanctis Parentibus suis colloquitur.

Affectus.

1. Ah parve infans, sed magne DEUS, & admirabilis obedientiæ Magister! quàm præclaræ de Divina hac virtute doctrinam hinc mihi exhibes! scis quàm curiosè delicata nature mex indoles id omne fugiat, quod asperum tibi fore suspicatur, & tota sit in deliciis suis omni studio conquirendis: Idcirco ipsâ Divini vultus tui serenitate, & risu innocentissimo mihi explicas, quid animi tibi sit, inter acerbas, quas pateris, molestias. 2. O quàm longè ego a virtutis tuæ exemplis abeo! Tu mi JESU, non vivis, nisi ex æterni Patris tui nutu & imperio; obedientia tibi est, & instar omnium deliciarum tibi est. Et ego miser illico in mille querelas solvor, nisi undique bene mihi sit. 3. Doce me, obsecro, valedicere omni ad humanas voluptates affectui; doce me amare unicè, quæ æterni Patris tui Providentiæ de

de rebus meis statuit. 4. Tradam me, oblecto
ad exempli tui formam, Paternis conditor
mei manibus, & pro arbitratu suo regendum
me illi committam: ah! quàm ego nunquam
eò descendam despiciatum & abjectionis, quò
tu, mi JESU, in hac fuga tua te demitte
dignatus es. 5. Nihil imperiis aeterni Patris
tui opposuisti, contrariae voluntatis; excepisti
la sine replicis, sine ulla mentis ab iis aversione
sine excusationibus, neque opposuisti modis
commodiores evadendi Herodianam rabie
6. Sed & quàm constans esse debeat obtempe
randi studium, doces, quòd neque desiderata
neque postulares unquam in patrias terras
ditum. Da mihi, ó Bone JESU, perfectam
obedientiam, hoc est, animosam, & indefi
tigabilem, qualis tua est. Ita te per merito
obedientiae tuae precor, obedientissime JESU.

II. P U N C T U M.

Humilitas.

Consideranda

Vide, quàm profunda sit Divini Infans
Humilitas. I. Quia inde jam digreditur, ut
non nihil inclarescere cepit magnitudo Di
vini sui nominis, neque redire illuc vult, donec
omn

omnis ferè Eiusdem memoria expiraverit:
1. Quia fugit. 3. Quia nocturno tempore oc-
cultus abit. 4. Quia in terram penitus igno-
tam fugit. 5. Quia cum apparatu rerum te-
nuissimo iter ingreditur. 6. Quia in eiusmodi
locum abit, ubi contemptus & injurias pati de-
bent infinitas. 7. Quia inter manifestos Idolo-
latrias versari voluit.

Affectus.

1. Quàm verò pretiosa, oportet, ut sit Hu-
militas, quando ita totam Maximi Redempto-
ris nostri mentem occupavit, ut amorem non
habere videatur, nisi quem Regiæ huic virtuti
consecret, neque aliud cogitare propemodum
velit, quàm quæ ex virtutis hujus præceptis
sunt. 2. Ah! quis tanto studio despici, & con-
temni queat, quanto magnus hic DEUS no-
ster! Ecquid verò est, quod dissuadere satis pos-
sit hoc studium? an ergo deceptam esse judica-
bitur infinitam Salvatoris nostri sapientiam?
3. Magne Redemptor, pro infinita bonitate
tua supplico, ea mihi desideria benignus elar-
ge, quibus tam efficaciter humiliationes &
contemptus flagitem, ut orationum denique
opportunitate, quibus virtutem hanc à te po-
tuleram, compellâ quodammodo Divinam Bo-
nitatem tuam, ad annuendum votis meis.

4. Scio

4. Seio equidem, & fateor, imparatum esse ad pretiosum hoc munus animum meum: sed detestor, & quantum in viribus meis est, execro quidquid virtuti huic in me adversum est. Tu, mi JESU, potentem manum tuam exerce & doma rebelles illos meos spiritus, & rationi subiice, ut tam promptus ad contentum amplexum sim, quam avidus honorum fui. Exerceamus igitur, ô anime mi, quid ardua hæc virtus præcipit, occasiones si non non deerunt, modò tu ipse tibi non deeris, sed quæseris studiosè, agnoveris, & avido amplexu exceperis. 6. Impertire mihi, Humillime JESU, vel tantillum aliquid, ex admirabili virtutis hujus, quam in te adoro, pretio. Ita per infinitam Humilitatis tuæ excellentiam te obtestor.

III. P U N C T U M.

Paupertas & Tolerantia.

Consideranda.

Paupertatem Salvatoris nostri, & quas pertulit, ærumnas meditemur. 1. Ita improvisa fuit fuga, ut nihil ad ejus solatium præparatum potuerit. 2. Parentes mendicatos & ipsi vivunt & parvulum precariis alimentis sustentant. 3. Ita

Iter longum est, omnis generis asperitatibus obnoxium. 4. Nihil adest in victu, aut aliis, solatijs. 5. Quàm verò incommoda fuerit diurni, nocturnique diversorij ratio? 6. Quoties per summam injuriam malè exceptus & habitus fuerit Divinus Exul? Hæc omnia accuratè expendam, & altè menti imprimam mirandas Regis & Magistri mei virtutes, novis incrementis cum ipsa ætate auctas. Est enim jam obedientia, & difficilis, & diuturna, & absque ullo, qui sciretur, termino. Humilitas opprobriis & contemptibus exercetur. Paupertatem longæ comitantur & acerbæ calamitates. Unde discam, quàm impensè deinceps propriam meam voluntatem, honorem, & delicias amare debeam.

Affectus.

1. Quàm non delicata est vivendi ratio, quam Divinus hic infans tenet! Quanta mihi DEUS, hic egestas, quanta viæ difficultas, quanta diverseriorum, quanta victûs tenuitas, quanta rerum omnium, quibus leniri posset exilium, carentia! 2. An hoc est, quod agis, mi JESU, ut me instruas, & doceas, sequi te nudum relictis omnibus? 3. Ecquid voluptatis tandem habuit Incarnata DEI sapientia? nihil habere proprium, mendicatorè,

tò vivere, conversari cum barbaris! Equiv
 verò deliciarum latet in his ærumnosis senten-
 bus animæ DEUM seridò quærenti! aliud mi-
 mirum hîc video, quàm egerim hæctenus, a-
 non aliud certè, quàm quod acturus deinceps
 sum. 4. Felix ille, & millies beatus est, in
 JESU, qui sequi te hac via potest. Per illum
 te amorem obsecro, quo Divinas virtutes tu-
 as tu ipse prosequeris, trahere me post te: Fac, ut
 fastidiam tandem aliquando indignissimam
 servitutem illam, quã tot annis jam appetitibus
 meis servio, & mortificatis, his modis novã
 tibi vitam ordiar vivere. 5. Et quæ deinceps habi-
 tatio nimium mihi vilis erit, quæ conversari
 molesta, postquam vidi te DEUM meum Cœli
 & terræ Dominum, Hominum & Angelo-
 rum Regem, in tam gravi exilio tamdiu com-
 morantem, opprobrium infelicissimum
 & immanium Barbarorum tolerantem, atque in
 singula momenta nova Idololatrarum flagitia
 & ipsis etiam dæmonum, qui adorabantur
 tibi infestissimorum furoribus obnoxium
 6. Animæ, mi JESU, imbellem hoc peccatis
 um Cœlesti tuo robore, ut in levissimis adver-
 satibus meis, nunquam fatigatus, nunquam
 ti velle desistam, nunquam de fine ærumna-
 rum sollicitus, nunquam immunitatem postu-
 let

lem à tam salutaribus pressuris. 7. Inflamma Domine frigidum hunc animum meum, Divinis illis ardoribus, quibus tuum, mi JESU, peccus flagrat, ut aliter jam de calamitatibus sentire incipiat, atque hæcenus consuevit facere.

Colloquium. Adorabo Divinas Regis & Doctoris mei perfectiones, meos errores detestabor, & veniam pro illis precatus, quòd tam sequer eum imitatus sim, opem è cælo ad emendationem meam flagitabo, quâ proficiam ex pulcherrimis Salvatoris mei exemplis, & imitati illa studeam, pro eo, ac ipse à me desiderat, offeram me ad ordiendum illico, quod propositum: ad ipsa dein solitudinis Antra, & Saxa me convertam, plangam duritiam, & torporem meum, eumque corrigere statuam, advocatis in propositi testes cavernis, & rupibus, quas Exultantulus felicissimo transitu suo consecravit.

Compendium Meditationis.

De Fuga Christi in Ægyptum.

Oratio præparatoria.

I. PRÆLUDIUM. Historica recordatio fuge.

II. PRÆLUDIUM. Videre Christum parvulum sanctissimis Parentibus suis in horridâ quadam solitudine blandè aridentem.

Aa III. PRÆ-

III. PRÆLUDIUM. Petere gratiam, cognoscendi, amandi, & exercendi obedientiam, Humilitatem, & Paupertatem fugitivi Salvatoris mei.

I. PUNCTUM. Obtemperat integerrimè
 1. Quoad tempus discessus. 2. Quoad locum exilij, & eum, quem in reditu iussus est petere. 3. In itineris ratione. 4. In commoratione quoad tempus indeterminatâ. 5. In omni genere calamitatum, quæ occurrebant. 6. Quod habitare non recusaret inter Idololatrias, populi electi juratos hostes. 7. Quod non paucos annos teneret exilium. 8. Quod hæc omnia jucundè & alacriter exequeretur.

II. PUNCTUM. Humiliat se. 1. Quia inde fugit, ubi manifestari cæperat Majestas sua. 2. Quia non redit, nisi post longum tempus. 3. Quia noctu fugit. 4. Quia in terram ab incognitam. 5. Quia in summa paupertate. 6. Quia graves illic contemptus patitur. 7. Quia inter hos abominabile Idololatriæ flagitium, idque publicum.

III. PUNCTUM. Paupertatem colit. 1. Quia fugit sine ullo exilij levamento. 2. Quia mendicatio vivit. 3. Quia longum iter in tanta egestate suscipit. 4. Sine aliquo itinerantium fo-

lino. 5. Sine propria illic domo latet. 6. Neque rarò inhospitaliter excipitur.

Colloquium. Venia à Domino petenda est pro socordia in imitandis ejus virtutibus admissa; supplicandum dein pro gratia, qua emendetur segnities: ad meliorem denique vitam ordiendam Domino me consecrabo, vocamini propositi mei testes desertis, & cavernis Egyptiacæ solitudinis.

Meditatio

*De Itinere Christi Duodennis
in Jerusalem.*

Oratio præparatoria.

I. PRÆLUDIUM. Recole tecum triduanam Christi à Parentibus suis absentiam, & ejus in templo inventionem, historicè narratam in Evangelio Luca 2. à. v. 41.

II. PRÆLUDIUM. Intuere Dominum in Templo ad pedes Doctorum humiliter confiteamur.

III. PRÆLUDIUM. Pete gratiam, cognoscendi, amandi & exercendi perfectam obedientiam, profundam Humilitatem, & patientissimam paupertatem amore Jesu Salvatoris, Regis, & Domini tui, qui illas in hoc itinere

suo, eo fine exercuit, ut nos ad similia incitaret exemplo suo.

I. P U N C T U M.

Obedientia.

Consideranda.

Vide perfectissimam Filij DEI obedientiam. 1. Quòd quotannis ad templum voluit ascendere, nulla lege ad hoc obligatus, ob ætatis teneritudinem. 2. Quòd inde recesserit tunc, cum æternus ejus Pater id vellet. 3. Quòd nunquam illuc persistat, quia sic æterni Patris voluntas fuit. 4. Quòd acerba hac afflictione sanctissimos Parentes suos cruciari sinat, ut sic æternus Patri suo placeat. 5. Quòd faciat Jerosolymam id omne, quod fieri æternus Pater voluit. 6. Quòd denique ad illud se disponat, quod præcipuè agendum in mandatis ab æterno Patre suo accepit, ad mundi scilicet instructionem, & redemptionem paulò post securam.

Affectus.

I. Amabilissime fili obedientiæ! ah ut per te scis obsequi, quasi aliud non scires, quam obedire! Quamdiu, mi Jesu, jam sustines me, cum tamen nunquam adhuc studuerim Divinam hanc, tibi que pretiosam adeò doctrinam

illis penetrare. 2. Ah! quàm frequenter iras
tus commerui, cum illud tam perfidè negligere
m, quod ita unice in amoribus tibi est:
3. Quàm opto, mi Jesu, ut vindex Zelus tuus
tam salutare contra inobediens cor meum iras
suas exerat, ut inobedientiam meam penitus
aboleat, & me Divinis virtutibus tuis ex inte-
gro consecret. 4. Non est suavissimus Matris
& Josephi Comitatus, qui ad longum suscipien-
dum iter te invitat quotannis, sed desiderium
implendi voluntatem æterni Patris tui, qui Legè
ad ejusmodi profectioem te videtur obligare.
5. Fac, mi Domine, ut, si quid acerbius tole-
randum, vel agendum se offert, id ego non sola-
tiosis mihi velim quodammodo dulcorari; sed
in omnibus unice spectem, ut sanctissimæ &
adorandæ voluntati tuæ fiat satis. 6. Fac, ut
Innocentibus etiam, & sanctis deliciis me ab-
dicem, ut tantò sincerius nihil agam in omni-
bus, quæ agam, nisi, ut sanctissimis imperiis tuis
obsequar. 7. Fac, ut nihil molestiarum à me
moliar, ut illud tibi gaudium non impediam,
quod ex obedientia mea capis. 8. Ah! quàm
plena pudore res est, & quantis luctibus expian-
dæ, si vitam meam, plenam propria voluntate
mea, cum tua, ô Bone Jesu, comparo, quæ
continua quædam sui abnegatio est, neque ad

Aa 3 aliud

aliud intenta unquam, quàm ad implendam æterni Patris tui voluntatem. 9. Largire tibi per merita admirabilis obedientiæ tuæ, ut illam & in me coner exprimere, pro eo, ac æternus Pater tuus, & tu ipse desideratis à me fieri. Ita te per infinitum illud gaudium obtestor, quod inobedientium tibi animis complaces.

II. PUNCTUM.

Humilitas.

Consideranda.

Profundissima fuit Filij DEI Humilitas. 1. Quia passim pro fabri filio habetur. 2. Noluit indicare parentibus, quòd remanendum tibi esset Jerosolymis, ne fortè gloriosa manifestationis causâ, iis innotesceret, qui reducem commitari cogitaverunt. 3. Tanquam ex plebe uno Doctores audit, & respondet, quasi magnum ex illorum sermonibus profectum faceret. 4. Occultat sapientiæ suæ & perfectionum mirabilem abyssum. 5. Errantes non correpit. 6. Modestè, quæ ab aliis dicta sunt, approbat. 7. Sanctissima quadam verecundia ad laudes suas erubescit.

Affectus.

I. Nunc igitur prima hac vice publicè pro fabri filio haberi vis, Nobilissime Jesu, coram

tata ex omnibus Judææ partibus collecta mul-
titudine, quando te aliter Mater tua non allo-
cata est, quàm si modo cum aliis hominibus
communi ex plebejo patre natus esses. 2. Quàm
manifestè damnas, Ô mi J E S U, superbiam
meam, quæ tam sollicitè celat, quod indeco-
rum sibi fore metuit, & tam studiosè ex advero
manifestum esse cupit, quod ad laudem sibi &
commendationem judicat proficuum. 3. Cur
verò prædicationis tuæ annos nolebas exspe-
ctare, ut talem tunc te manifestares, qualis jam
nunc videri cupis? Nempe desiderium humi-
liandi te, & docendi me non passum est differri
longius, quod cogitabas. Agnosco hanc Char-
itatè tuam, & doctrinã tuam cælestè gratis acce-
pto: Imitabor te, mi J E S U, & ut placeam tibi,
providebo bona animæ meæ coram te. 4. Eru-
di me, Ô infinita Patris sapientia, & Divinis il-
lis radiis illustra mentè hanc meam, quibus in-
telligam, ubi vera Nominis claritas quiescat, &
quàm illa in contemptibus, & omni genere hu-
miliationum sita sit. Largire, mi J E S U, ut
novò prorsus, & singulari studiò id omne hu-
manis oculis occultum velim, quod gloriosum
michi est; id autem non erubescam, quod despica-
bilem me facit. 5. Da, ut omnes secundùm
rectæ Rationis leges venerer, & defectus alic-

nos, quantumvis mihi manifestos, ita tamen se-
dulò ignotos velim, ut si nulli essent. 6. Fac, ut
æquanimiter feram, si non peculiari quadam
excellencia inter æquales meos emineam, & ut
omnem etiam eminendi cupidinem, tanquam
pestem, abominer. 7. Fac denique, ut & fugiam
laudes meas, neque unquam illas nisi cum
aliquo mentis indignantis fastidio, & veretur-
dia audiam.

III. PUNCTUM.

Paupertas & Tolerantia.

Consideranda.

Pauper fuit, & patientissimus DEI Filius.
1. Quia cum insigni labore singulis annis iter
tam difficile suscepit. 2. Quia pedes ire, & re-
dire voluit. 3. Quia integro triduo, quod
mansit, emendicato pane vixit. 4. Quia, quò
interdiu vel noctu reciperet, diversorium nu-
lum habuit. 5. Nemo benignè ipsum hospitiis
& aliis solatiis fovit, quantumvis pauperum
ceterent. Hæc omnia accuratè considera,
& profundè in animum demitte, contemplatus
Regis & Magistri tui Divinas virtutes, novis
veluti incrementis jam sublimiores. Est enim
obedientia jam ejusmodi, ut illis, quos Dominus
amabat tenerrimè, acerba admodum, & gravis
accidat.

modat. Humilitas inter contemptus jam ver-
satur, quando Dominus præ aliis excellentiori-
bus, ut apparebant, tanquam indignus aliquis
terre filius deipicatus fuit. Paupertas denique
erummosa, & contemptibus obnoxia fuit, quan-
do victum in patria tellure, inter cives, in ea
estate, quæ verecundiæ capax erat, necesse fuit
conquirere. Ex istis omnibus rationem addis-
cam, quâ amare propriam voluntatem meam,
humores, & delicias convenit.

Affectus.

1. Amabilissime Magister, quàm obtusum
ego caput habeo, condiscendis Divinis his le-
ctionibus tuis, & quàm adhuc voluntas mea
est pertinax ad ea, quæ doces, exercenda. 2. Te,
mi Jesu, ab ipso adeò præsepi tuo in calami-
tibus nunquam non video, & ego miser ad
hoc unum identidem intentus sum, ut vivam
quam commodissimè, etiam in super habitis Di-
vinis legibus tuis. 3. Tu, qui aves cœli quoti-
diano pastu reficis, panem ostiatim colligis,
& rix, qui largiatur etiam tantillum, reperis.
Ita nempe famem & pudorem publicum ad in-
fernas illas amabilissimi pectoris tui ærumnas
adjungis, quas ex Sanctorum Parentum tuo-
rum non ignoto tibi dolore & tristiti toleras.
4. Et hæc tanta tua per triste hoc tridu in soli-
tudo,

A a §

tudo,

tudo, ac derelictio, nunquid satis efficax erit, & statuam aliquando, memet penitus relinquere, & suavissimo Providentiæ tuæ ductui ita me consignare, ut de temporalium bonorum questu nulla porrò cogitatio mentem meam fastidiat. 5. Fac, mi JESU, ita per id omne, quod tribus his diebus, & duabus noctibus passus es, supplicem rogo; fac, ut ab hominibus etiam amicissimis, ita disponente æterni Patris tui consilio, derelictus, in tuo tamen servitio non ignis fiam. 6. Fac, ut ita imitari hanc orbitationem tuam desiderem, ut, si quid illi utcumque similitudine contigerit me experiri, non id horream, sed etiam ultem, & inter solatia numerem.

Colloquium erit cum JESU, Domino Rege meo; adorabo Regias ejus perfectiones, & defectus meos detestando, veniam segnitæ meæ in condiscendis Divinis Lectionibus expectam: promittam jam nunc inchoandam detestabilis socordiae meæ correctionem; & quod auxilium Divinum efflagitabo. Maxime autem ad Virgineam Matrem me convertam, ut gratiam impetret, rogabo; qua conservem in corde meo Divinas Filij doctrinas, & opere vivificos, & plateas Hierusalem, & ad ipsius etiam templum me conferam; fatebor passim

& publico luctu plangam super vecorde negli-
gentia mea; veniam pro illâ petam, & meliora
in posterum promittam; promissi verò testes
ipsa templi sacrosancti adyta &c. invocabo.

Compendium Meditationis

De Itinere Christi Duodennis in
Jerusalem.

Oratio Præparatoria.

I. PÆLUDIUM. Historica commemoratio,
de Christi Duodennis profectio, remansione,
& inventione in Hierusalem Luc. 2. à. v. 41.

II. PÆLUDIUM. Videre Christum affiden-
tem Doctorum pedibus.

III. PÆLUDIUM. Petere gratiam cogno-
scendi, amandi, & imitandi obedientiam, hu-
militatem, & paupertatem Salvatoris mei.

I. PUNCTUM. Obedit. 1. Quia quotannis
ad templum profectus est. 2. Quia rediit inde,
cum oporteret redire. 3. Quia mansit, cum
mansionem æterni Patris voluntas imperaret.
4. Quia scivit affligendos inde Parentes suos.
5. Quia fecit Hierosolymis ea, quæ Pater æter-
nus iusserat. 6. Quia ad magnum Redemptio-
nis nostræ opus jam se disposuit.

II. PUNCTUM. Humiliavit se. 1. Quòd
pro

pro Josephi filio haberi vellet. 2. Quòd causam remansionis suæ ignotâ tunc voluerit. 3. Quòd discere videretur more aliorum rudium puerorum. 4. Quòd infinitam sapientiam suam absconderet. 5. Quòd non carperet imperia aliorum opiniones. 6. Quòd laudaret rectè rebus sentientes. 7. Quòd ad laudes suas et beſceret.

III. PUNCTUM. Paupertatem exercere.

1. Quòd annis singulis tam longam & difficilem profectiorem susciperet. 2. Quòd pedibus illud conficeret. 3. Quòd victum ostiatim colligeret. 4. Quòd diversorio careret. 5. Quòd à pluribus hospitiis exclusus æquanimiter illam repulsam ferret.

In Colloquio implorandum Divinæ Matri suffragium est, ad impetrandam gratiam, conservandas in animo, & opere complendas admirabiles DEI doctrinas.

Meditatio.

De Vita Christi ab Anno Duodecimo usque ad Trigesimum.

Oratio præparatoria ordinaria.

I. PRÆLUDIUM. Redux Dominus ex Jerusalem in Nazareth, mansit illic Parentibus suis.

ab anno duodecimo ad trigessimum usque
vixit; atque ita octodecim hos annos exegit,
vivens ætate, sapientiâ, & gratiâ apud DEUM,
& homines.

II. PRÆLUDIUM. Videre Christum Josepho
Patri suo collaborantem.

III. PRÆLUDIUM. Gratiâ postulare, co-
goscendi, amandi, & constanter exercendi
integerrimam illam obedientiam, profundam
Humilitatem, & arctissimam paupertatem,
quas Dominus, & Magister meus amplexus est,
& per octodecim omnino annos exercuit, ut
adillarum me amorem suaviter incitaret.

I. P U N C T U M.

Obedientia.

Consideranda.

Inscrutabilis est obedientiæ Filij DEI aby-
sus. Obedit enim. 1. Universaliter quoad
omnia sibi imperata. 2. Ubique & semper. 3. In
rebus abjectissimis, & ideo secūndum huma-
nū intellectus judicium indignissimis obedi-
entis Majestate. 4. Non parentibus solum, sed
quandoque etiam aliis, in parentum præsentia
quidpiam jubentibus obtemperat. 5. Obedit
pocorruptè. 6. Alacriter. 7. Sine excusatione
aut

aut obmurmuratione aliqua. 8. Externam & internam obedientiam præstat, exequens nimirum imperata, & ex animo exequens. 9. Motivum obediendi unicum est charitas, & æterni patris sui beneplacitum.

Hic illud potissimum ponderabo, quã preciosa corã DEO sit hæc virtus, cū sacre literæ de octodecim, quos sub Parentibus suis Christus exegit annis nihil aliud nobis manifestent, quàm sub me illud obsequendi studiũ, quod pauculis hisce verbis totum comprehendunt: *Es erat subditus illis.* Non utique hoc ideo solum fit, quod aliud memorabile nihil hoc tanto tempore gesserit Redemptor noster, quod ad vitæ nostre institutionem servire possit, sed quod tanti pretii coram Divinis oculis sincera obedientia sit, ut, si Salvator mundi aliud longo octodecim annorum spatio non egisset, quàm obsequi, tempus non nisi optimè censendus sit impendisse, & quasi ad docendam tam arduam virtutem contractius aliquod tempus non fuisset sufficere.

Nempe hoc unum dicere: *Erat subditus illis,* & postmodum tacere, idem est, ac dixisse. Ille, qui unico momento omnem supremæ perfectionis disciplinam tradere potuisset, per integros octo & decem annos vitæ suæ aliud docere

cernam & non voluit, quàm obedire. Penetrare igitur
fidebo, quod tam exquisitè Redemptor meus
9. Mo. & aeterni
deprehendam, nihil esse penitus, quod imperatum
à pretio
re de obo
us exegit
am suble
ulis hinc
at suble
a fit, quod
pore gel
æ nostræ
anti pre
ientia fit
Et decem
equi, tem
pendit
virtutem
flet suffe
ditus
c dixit
emæ per
per in
aliud do
cer

Et integerrimè non perfecit: & singillatim
quidem res ejusmodi deprehendam, quæ huma
nus certè judicio non nisi abjectissimæ viden
tur esse, qualia sunt, excitare ignem, parare ci
bos, sternere mensam, lavare lances, purgare do
mum, aperire & claudere fores domesticas, af
ferre, quæ variis usibus opportuna sunt, laborare
in officina lignarica, dolare trabem, suppelecti
lia curare, & si quid porrò est ejusmodi obse
quiorum.

Hic jam subsiste nonnihil, anima mea, &
confidera, quibus in rebus tam longo tempore
te se occupet, in quo omnes thesauri sapien
tiæ & scientiæ sunt absconditi. Ah quàm verè
absconditi! vide, quid agat ille, in quo corpo
ratur omnis Divinitatis plenitudo habitat. Er
gò omnis ille admirabilis perfectionum appa
ratus eò tandem recidit, ut in officiis tam abje
ctis exerceri jam debeat! Poterat certè nobilif
simo tantorum decorum thesauro ad sui cogni
tionem & amorem adducere totum planè
mundum, & homines, quotquot erant, univer
fos

los, addictos obsequiis suis, & amori suo man-
 patos habere, sed nimirum ille, qui omnia pos-
 rat, non nesciebat, quid coram DEO esset pro-
 tiosus. Et ideo non alio modo propagare Pa-
 terni Patris gloriam voluit, quam obedienti-
 sincerissimæ studioso cultu. *Veni, inquit, ut facerem voluntatem meam, sed Patris mei.*
 Duce, mi homo quàm digna, quàm preuola
 in Conspectu DEI hæc obsequendi Virtus.

Affectus.

1. Æstimanda pro meritis, & diligenda
 obedientia, quam tanti fecit sapientissimus Re-
 demptor noster. Erubescere verò etiam de-
 beo recordiam mentis meæ, quòd neq; amo-
 ris, neque studij aliquid in sublimem hanc vir-
 tutem impenderim, quin imò contemptum
 non raro illam, quam tanti à DEO æstimatam
 & proprio exercitio DEI Hominis consecratam
 scivi. 2. Desiderabo illam, & ejus studium
 mihi deinceps cordi ut sit, curabo, tanquam ali-
 quod singulare DEI donum. 3. Ex considera-
 tione, quàm refractaria fuerit hucusque exacti-
 vita mea, justam contra memet indignationem
 concipiam, & detestabor rebellem voluntatem
 meam pertinaciam. 4. Et veniam tam notum
 erroris flagitabo. 5. Firmiter mecum statuantem
 opitulante DEI gratia, integrè me virtutis obe-
 dientiam.

dentia cultui consecrare, amoris, & imitationis Salvatoris mei studio. Curabo sollicitè, ne quid sit, quod imperatum mihi integerrimè non exequar, ne quæ obsequendi uspiam elaboratur occasio. 6. Ad hoc gratiam à DEO flagitabo, per infinita merita obedientia Redemptoris mei, quem ipsum obsecrabo, ut eam mihi largiatur virtutis hujus perfectionem, quam ipse in me desiderat, & quam mihi obedientia suæ pretio comparavit. 7. Magni igitur fiat perfectio obedientia, & de reliquo securi vivamus. Parum interest, quid sit, in quo servimus; si voluntatem DEI facimus, sufficit. 8. Sed impleamus hanc æterni Patris voluntatem juxta Redemptoris nostri amantissimi exemplum, semper ea, quæ vilia sunt, & abjectiora, splendidis & magnificis præferendo. 9. Quis tandem est, qui conqueri deinceps audeat, non ea sibi committi officia, quæ meritorum suorum ratione & præstantia requirit, si Salvator orbis terrarum tam diuturno tempore in officio tam despicibili, & in obsequiis familiae suæ pauperum occupari non erubuit?

II. P U N C T U M.

Humilitas.

Consideranda.

Profunda fuit DEI filij Humilitas. 1. Quoad
B b res

res, in quibus distinebatur. 2. Quoad personas, quibus suberat. 3. Quoad discursus, quos habuit. 4. Quoad actiones, quas exercuit. 5. Quoad curam, quâ latere semper studuit. 6. Quoad graves sæpe ex labore fatigationes. 7. Quoad subsidia, & solatia, quæ alienis laboribus frequenter adhibuit. 8. Quoad defectus proximis, quos omni studio occultavit. 9. Quoad laudem, quam nulli, qui illam merebatur negavit. 10. Quoad alienorum defectuum tolerantiam. 11. Quoad loquendi parcitatem. 12. Quod nunquam de se, suisque præconiis quidpiam loqueretur.

Affectus.

1. O inestimabilis thesauri, quàm parùm notus es inter Homines! 2. Eja adeste cæci iudices, qui plus vobismet sapitis, quàm ipsa incarnata Patris sapientia. 3. Disce hic arrogantiæ anime, quàm pueriles questus tui sint, quos de fundis, quòd inglorius lateas, si non arduis negotiis, & muneribus admovearis. 4. Ea, quæ tibi Deus liberaliter indulget, talenta, an talia putas esse, quæ cum Redemptoris tui Cælestibus thesauris comparari possint? si quid, & quantum potes, te humilia; tam profundè detestari non senties, quin abjectius aliquid merearis. 5. Sed, ô Deus, & Salvator meus Humillime

quibus artibus ego ad Humilitatis tuæ abyssum
quoquo modo accedam? Si Majestas tam abje-
cta habetur, quò nihilum debet se demittere,
& quis locus sat profundus erit, pro indigno
peccatore! 6. At hoc saltem, ut ab Humilia-
tionibus tuis commodi referam, largire, ut sub-
lime nihil tuiam; sed abjecta, & vilia diligam,
que tibi tantopere fuerunt in amoribus: fac, ut
mundi plausus, & honores execrer, neque ma-
gnum aliquid reputem, nisi tibi fieri quàm si-
millimum. 7. Erubescere tandem intolerabilis
superbia, quiesce indomitæ ambitionis furor,
cum Deo sic annihilari vides, & tu magnus
apparere infana libidine identidem gestis?
Etiamne fieri poterit, mi JESU, ut credam,
quantus sis, & tamen honoribus inhiem? an
ego octodecim annorum Humillima solitudo
non satis est efficax, ut ad imitandum te me
provocet, quem tantùm in hac conditione tam
humili veneror, & adoro?

III. PUNCTUM.

Paupertas & Tolerantia.

Consideranda.

Pauper fuit & patiens Dei filius. 1. In opi-
nicio fabri lignarij. 2. In victu & vestitu. 3. In

Bb 2

ha-

habitatione. 4. In familiaribus suis. 5. In magna variarum incommoditatum frequentia. 6. In longâ omnium deliciarum absentia. Hanc totam Regis & Magistri mei doctrinam, & opera doctrinæ conformia penitus curabo intelligere, & altè in mentem demittere, observando, quàm cum ætate crescant Regiæ illius virtutes. Jam enim obedientia longè quàm antè laboriosior est; Humilitas longè jam profundissima, quia conjuncta cum desplicatu quodam peculiariter; paupertas, ex duris laboribus & lassitudine afflicta. Quæ omnia sunt ejusmodi, ut veram, delicias, honores, & propriam voluntatem meam amandi rationem me doceant.

Affectus.

1. O te divitem nimium Regia Paupertas, quæ Divinum Salvatoris mei pectus ita dominatum tuo subjectum habes, ut labores tam asperos, & facilè, & jucundè subire illam facias. 2. Huc delicati voluptatum venatores, redete Dominum Majestatis inter infimæ sortis, ut apparet, homines, laborioso officio, & quotidianis sudoribus victum sibi comparantem. 3. Ah Dulcis Jesu! quænam etiam necessitate adegit, ut hanc tam laboriosam & plenam calamitati us vivendi rationem susciperes, & in ea decem ipsos & octo annos perseverare velles.

ls, quasi ex ignobili, & obscurissima hominum
sore esse aliquis? 4. Nempe infinita Bonitas
tua est, quæ tam abjectum te fecit, ut me ad si-
militudinem virtutis hujus studium invitares exemplò
tuo, & rem mihi tam salutarem amare doceres.
5. Et poterone ego deinceps cupidinis aliquid
erga vitæ hujus delicias fovere, postquam te, mi
Jesu, vidi proprii sudoris pretiò quotidianum
victum comparare? 6. Eritne causa dein-
ceps aliqua conquerendi contra victus, vestitus
habitationis vilitatem, ex quo video, quòd ad
paupertatem tuam angustissimam vix aliquid
adhuc accesserim. 7. O pauperrime, ac pa-
tientissime JESU, da mihi, obsecro, gratiam
imitandi Regias virtutes tuas, & libenter pa-
tendi tecum. Ita te per illam Divinæ mentis
tue læticiam obtestor, quâ perfusus es, cum pa-
tereris pro me. 8. Detestor hanc carnis meæ
sensualitatem, & ab hoc momento moriar omni
conquirendarum deliciarum studio, & tuæ imi-
tationis amore amplectar, quidquid naturæ
asperum videbitur.

Colloquium fiet cum Redemptore, Dominò
& Magistrò meò, adorando perfectiones Ejus,
& meas execrando imperfectiones, veniámque
postulando, quòd tam negligens in virtutum
Ejus studiò fuerim. Imploratâ dein gratia ad-

jurice proponam emendationem, & ad illam
 jam nunc inchoandam me offeram, Ad Divinam
 Matris conclave, & S. Josephi officinam me
 conferam, utriq; socordiam meam confitebor,
 & emendationis decretum significabo, ejusq;
 testes illos invocabo, &c.

Compendium Meditationis.

De vita Christi ab Anno Duodecimo
 usque ad Trigesimum.

Oratio Præparatoria.

I. PRÆLUDIUM. Christus Nazarethum re-
 dux, Parentibus usque ad trigesimum ætatis
 suæ annum subditus vivit, crescens sapientia
 & gratiâ apud DEUM & homines.

II. PRÆLUDIUM. Videre Dominum Josepho
 collaborantem.

III. PRÆLUDIUM. Petere gratiam
 cognoscendi, amandi, & imitandi obedientiam
 humilitatem, & paupertatem Salvatoris mei.

I. PUNCTUM. Obedit. 1. Universaliter
 2. Ubique & semper. 3. In rebus abjectissimis
 4. Quibusvis imperantibus. 5. Promptè 6. Abs-
 critè. 7. Nihil excusans aut obmurmurans
 8. Opere & voluntate. 9. Ex motivo charita-
 tis. 10. Abstinet à famosis pro DEI etiam glo-

in patrandis rebus, quia sic æterno Patri placitum est.

II. PUNCTUM. Humiliat se. 1. Occupando se in re tam vili, 2. In conversatione sua. 3. In sermonibus. 4. In actionibus suis. 5. Se occultando, 6. Se fatigando. 7. Aliis serviendo. 8. Errores aliorum excusando. 9. Alios honorando. 10. Alios tolerando. 11. Parcè loquendo. 12. Nihil de se dicendo.

III. PUNCTUM. Paupertatem exercet. 1. In officio suo. 2. In Victu. 3. In habitatione, & vestitu. 4. In iis, quibus familiarius usus est. 5. Tolerando varias tenuitatis domesticæ molestias. 6. Procul à se omne delicatum genus removendo.

In Colloquio, Veniam rogabo, quòd tam segniter Divinas has virtutes coluerim, & gratiam emendandi postulabo, consecrando me illico ad inchoandum, quod proposui, idque mente in conclavi Virgineæ Matris, & Josephi
Officina versans.



DISSERTATIO.

Pro Quinta Die.

De Imitatione Christi.

Tanta est DEI Creatoris nostri sapientia, ut, si quem finem nobis excellentem præsum vult, nobilissima etiam media eò persequendi soleat addere; tanta verò etiam ejusdem est bonitas, ut gloriam suam non velit, nisi conjunctam cum felicitatis nostræ incremento, atque ideo si Salvatoris nostri desiderium est, ut ipsum ames, eò id intendit votum, ut, quem amas, cum etiam imitari gestias. Cordis tui dominatum appetit, gloriosum quidem Majestatis suæ, sed eò fertur Divinus hic ambitus, ut ex ipsius animi tui servitute ad imitandum eum, cui servis, promovearis. Et hæc est illa Regis nostri imitatio, ad quam hodie te provoco. Considera, si lubet, attentè & meditatè, quantis imperiis titulis obligatus sis ad sectandum hoc imitationis studium, tum, quantam oporteat in hoc lo diligentiam infumi, quantâ item hætenus tolerantia in eo versatus sis, & quid impostertum hoc in negotio moliri cogites.

Primum, quò ad sui imitationem te pellit, Saluator tuus, præstantia est, & Majestas Divina personæ suæ, & Sacratissima Humanitatis Ejus

nobilissima decora. Si enim magnum quid est, magnatibus in iis rebus esse similem, quas merito commendabiles totus orbis in ipsis suspicit, infinitus certè honor erit, Salvatori tuo in vita, quam duxit, sanctissimis rationibus esse similem.

Alterum est. Quidquid in viribus tuis est, id omne liberalissima Servatoris tui Bonitati debes. Ita enim te beneficiorum & numero, & gratiantia sibi obligavit, ut immanitatis quædam species futura sit, id omne non illico præstare, quod tantus Largitor à te desiderat. Jam verò nihil est, quod impensius à te exigit, quam vitæ morumque suorum imitationem. Neque aliud est, quod in terras has ex Cœlesti Regia illum detraxit, quàm ut æterni Patris sui regnum, diaboli fraude ferè jam collapsum, integrum restitueret. Idque cum fieri non posset, nisi imitemur eum, in quo æterni Patris voluntas, & suprema potestas tam excellenti modo dominata est, nihil ardentius exigit, quàm ut integerrimè se imitemur.

Sed en tertiam considerationem, quâ totus, nisi fallor, convinceris. Vitam elegit Servator tuus communem aliquam, eo certè fine, ut nulli non imitabilem se proponeret, & ut imitati sanctissimam Ejus vitæ rationem, ad immortalitatem

lem quandam , & omni humano captu maiorem gloriam & beatitudinem elevemur. Considera tantisper hominum & angelorum regem, egenum, & contemptum, & convertentem inter nos, vitæ despiciabilis habitu, quo perperimus quisque , & ex ima plebe hominum. Et hoc sanè non aliquâ fati necessitate accidit, neque idcirco, quòd non felicius aliquid, & gustius Vitæ genus potuisset sequi; sed neque ideo, quòd commodior vivendi ratio æterni tri displicuisset: cùm tantum honoris redun- set in Divinam Patris Majestatem, si in summa dignitatibus, & inter Aulae pretiosos apparatus vixisset filius, quàm modò, cùm despiciabilis vitæ genus amplexus est. Nobis ergo prototypum voluit, tibi, mi Lector, mihi, & singulis quos Divinæ menti suæ præsentis habuit, quando ærumnosam hanc vitam, quam deinde des- xit, dignatus est eligere, ut nullus nimirum des- set, qui imitari tam nobile prototypum non pos- set, quòd imitari sanè, si quidem salus nobis cordi, nobis est, omnino necesse puta. Cùm ergo tot ærumnas amplexum vides, tibi illas amplexum crede, ut amabiles nimirum faceret, quæ delicata indoles tua alioquin horret; consecras illas amore suo, ut tibi commendabiles faceret.

An ergo inutilem tibi Divini VERBI

ationem, & quantum ad vitam desiderii
naturæ tuæ contrariam pertinet, exitialem
quodammodo patieris esse? Id Bonus DEVS à
te avertat! Certè si tu hodie Salvatorem tuum
cum cruce sua erubescis, veniet aliquando dies
ille, quando è converso ipse te quoque erubescet,
& procul à Divino conspectu suo ablegabit.
Si modò tam delicatus es, ut pati, atque
in JESVM in ærumnis suis consolari quodammodo
recuses, permittet ille, ut in ejusmodi aliquando
supplicia ruas, quæ nihil per totam æternitatem
admittent solatij. Non ergo tam immanis erga
tam studiosum amatorem tuum esto: ecquid verò est,
quod horres tantopere? Infamia decóra esse capit,
postquam filio Dei desponsata est. Dolores non jam
pungunt amplius, neque acerbitalis habent aliquid,
sed celestem dulcedinem ex sui cum Salvatore
tuo conjunctione imbiberunt.

Sed parùm videlicet Majestate, & beneficiis
Redemptoristui adhuc commotus es: et sanè
invenia. An verò tam etiam barbarus & immanis
eris, ut te ipsum oderis, salutem tuam fugias,
& periculo æterni exitij te ultro vecors exponas.
Cede saltem propriæ salutis tuæ, ejusque
consideratione ad ea, quæ suadeo, inflectere.
Nunquid intelligis adhuc, nihil ad felicitatem
tuam

tuam tibi convenientius futurum, quàm sequi
 Salvatoris tui vestigia, quàm licebit, proximè
 Certè cogitare nefas est, quòd ad aliquid te in-
 vitet ipse, quòd exitiale tibi sit; nimium enim
 Bonus est. Sed neque Sapièntia ejus permittit, ut
 suspicari, ac vereri audeas, ne fortassis deceptus
 ad suū te sequelam tanquam parùm tibi profici-
 am illexerit. Quid ergo est, quòd cunctaris, et
 dubitas, num sequi invitantem, ejusque con-
 filiis acquiescere, consultum tibi sit.

Quæ tibi fides hac super re dicat, in ac-
 quiesce, & ita tecum statue: Remunerationem
 quam DEVS omnibus illis Humiliationibus
 quibus plena est vita Salvatoris tui, pollicetur
 tantam esse, ut ejus consequendæ studiò, in fin-
 tis partibus duriora perpeti grave tibi non de-
 beat esse; cùm, quidquid laboriosum in hac vi-
 ta toleratur, comparatum cum gloria, quam
 lucraris, planè nihil sit. Ita tibi disertè Redem-
 ptor noster asserit: Qui mihi ministrat, me-
 quatur, inquit, & ubi ego sum, illic & ministrus
 meus erit. Quòd si igitur triumphanti gemitus
 esse similis in Beatitudine, imitare illum in ex-
 lio; si patieris cum patiente, regnabis cum
 Triumphante.

Præterea nòsse debes, & accuratè expendere,
 quòd salvari nequeas, nisi adjutricis Divinæ
 gratiæ

quæ præsidio. Hanc verò, sicut non tenetur
tibi Deus in omni penitus eventu abundan-
ter submittere, ita sperare debes, illum eam ti-
bi in his periculis liberaliter largiturum, quibus
pro honoris sui propagatione ipse te exposue-
rit. Vereri igitur, & serio vereri debes, ne, dum
nummum tibi met ipsi delicatus, imitari ducis tui
pretia recusas, ipsâ hac socordiâ perditum te
eris. Ac proinde frequenter ejus te meminisse
convenit, quod Cœlestis hic Magister tam serio
pronunciavit: qui amat animam suam in hac
vita, perdet eam pro tota æternitate. Christo
itaque te totum consecra, & perdes te totum
contemper, sed ut æternum felix hac ipsâ tuimet
poturâ fias.

II. Statutum ergo tandem est, sequi ducem
tam pretiosum? at jam & rationem gestis in-
telligere, quam in Salvatoris sequelâ tenere
convenit? Ideo facili negotio, nisi fallor,
perstiterim. In compendio rem totam accipe.
Oculos duntaxat aperi, & præeuntem tibi Sal-
vatore tuum intuere; suis ille vestigiis iter tibi
figurat rectissimum. Res utique facilius est, præ-
euntem intueri, quàm sequi: sed & hoc fa-
cilius te recepisti, ut primùm Christianus esse
cepisti. Quod sanè quid aliud est, quàm profi-
teri fidem, doctrinam, vitam JESU Christi?
Ma^{ct}

Maſte igitur animis, Chriſtiane, ſequere, quem
adoras ; quot actus exercuit, totidem ejus ſunt
veſtigia ; age, quod egit, & eodem, quo egit mo-
do, & imitatus es, quem adoras. Operare, ut
ipſe ; patere, ut ipſe ; quere, quod quaſiit ; ſu-
ge, quod averſatus eſt ; relinque, quod deſeruit ;
quaſi conſulit, exequere ; idem tibi, quod ipſi
propoſitum eſto ; eaſdem, quas ipſe coluit, virtu-
tes amplectere ; temet abnega, ut ipſe ; crucem
cum illo tuam porta, & ſiquidem DEO ita fue-
rit placitum, neque crucifigi cum illo dubita-
& nihil dubita, quin ita eum proximè ſequa-
ris.

Sed age, ſingillatim rem exequamur, ut ac-
tius videas, qua eundem tibi ſit. Ut imitari
Dominum, neceſſe eſt, non ſolum non aucupari
dignitates, ſed oblatos ultro honores malculè
reicere, niſi aliud Divinae gloriae ratio videatur
exigere. Contemptus, à quocunq; tandem
in te profectos, etiam nullà culpà tuà, avidis am-
plexibus debes acceptare. A quibus contemni
te contigit, ab iis animo non ſolum averſi non
debes, ſed amare, & bene, tam in Divinis, quam
temporalibus, & velle debes illis & facere, ac-
que arbitrari, iis te peculiari prorfus nomine
obſtrictum eſſe. Quin imò, quos ultro ab aliis
non experiris contemptus, eos cum omnibus,
qua

que natura horret, debes inquirere: ita enim
 Saluator tuus fecit, & ut cum lucro obtineret,
 quod quaesit, etiam miracula patravit, ut habe-
 re, unde pati posset. Quid multis? unum oportet,
 ut desiderium habeas, idque perenne, anni-
 hilandi te, & moriendi tibi, ut continuum Dei
 & Salvatoris tui Holocaustum vivi amoris
 ignibus ardeas. Et hoc est gloriosum illud Re-
 ceptoris tui desiderium, quod cum mentem
 sanctissimam totam occupasset, illa plena
 amoris verba expressit: *Baptismo habeo bapti-
 zari & quomodo coarctor, donec perficiatur!*

Neque jam credo, percontaberis, quid agen-
 dum sit, ut imiteris Salvatorem tuum, in iis qua
 delicias, & vitæ hujus temporalis amœna sola-
 ta concernunt. Anima enim, quæ honoribus,
 in profectò delicatissimæ, jam mortua est, pa-
 rum illud amplius desiderat, quod longè mino-
 re est pretij, quàm honorum gloriosus fulgor.
 (dicit S. Spiritus induens personam Re-
 ceptoris tui) *in laboribus à Juventute mea.*
 At quàm verè ab ipsa Conceptione sua &
 Nativitate, tota Salvatoris nostri vita non erat,
 nisi iuge paupertatis, & tolerantia exercitium!
 Quem enim in primo suo in has terras ingressu
 excepit Paupertas, eum, dum vixit, usque adeò
 semper comitata est, ut neque in cruce dereli-
 querit,

querit, & in ipsum ad eò sepulchrum secuta fuerit. Valedices igitur, si quid diligas, parum mortalibus voluptatum & terrestrium bonorum desideris, quibus in corde dilecti tui nullus usquam locus patuit.

Nunquid ardua sunt, quæ hæcenus recensita ad imitationem Salvatoris nostri pertinentia, sed hem! aliud insuper sublimius quidem & difficilius hæcenus allatis, sed & longè nobilioribus omnibus nobilioribus, in quod omni studio, si fortius imitator esse vis, oportebit incurrere. **JESUS**, quamdiu inter nos conversatus est, nunquam voluntatem suam fecit, sed unice in omni temporum, & eventuum varietate, in omni voluntatum humanarum vicissitudine, secum agi passus est, quod æterno Patri esse gratius. Obedientia nimirum fuit, quæ supremam in Divino hoc pectore potestatem exercuit, & actus ejus doloresque omnes ad summam Patris voluntatem, tanquam normam unicam, exegit. Et hoc est, in quo sequi debet, si illud animus est æmulari, quod in se reliquit omnibus sublimius, & præstantius Christus habuit. Facilius, mihi crede, omne genus injuriarum, & omnes dolorum formas amplectaberis, quam voluntati tuæ valituro æternum decreto serio renuncies. Ordire, si lubet, hodie hac in re de te ipso triumphare.

III. Ignoscere

III. Ignosce Audaciae meae; opinor, non tam te fecisse, quod suadeo, qui enim excellenti modo id executus est, vel perfectus jam est, vel in arduae virtutis studio insignes profectus fecit. Dic igitur mihi (vel DEO potius, & tibi metipso) renuncia sine ita voluntati tuae, ut nihil egeris, quia tibi placuit, sed unice quia sic DEO placuit? Respondebis, nisi fallor, te obsecutum aliquoties fuisse majorum tuorum imperiis. Id ego cretam equidem; sed vereor, ne illico deserueris preclare capta, & quam DEO donasti voluntatem, eam tuo dominatui & usui rursus non tuo subjeceris.

Excole hanc Virtutem masculino quodam & peculiari studio, & vel hodie incipe, eam, qua par est industria tam nobili te negotio impendere. Nolo ego, in quibusdam tantum eventibus voluntatem tuam exuas, sed ut aeternam quantum, & communem abdicationem ejus facias, ut ut cum gaudio alienis imperiis & nutibus obsequaris, atque ita tuum a te velle penitus desinas, ut nolis aliud vel pati, vel agere, quam quod Deus vult.

Neque est, quod excessum hac in re aliquem suspiceris, aut metuas. Quod enim omnes animi vires in hoc unum videaris impendere, non miror, quia deinceps reliquas perfectionis partes putandus es

Cc

neg-

neglexisse. Si enim hoc penitus addideris
 quidquid superest virtutis, totum jam integrum
 possides. Mens profectò illa, quæ suæ voluntatis
 placita non sectatur, neque honores veneratur,
 neque divitiis aut voluptatibus inhiat.
 Hæc enim omnia illis duntaxat accepta sunt
 qui appetitibus suis, & indomitæ Voluntatis
 blandiuntur. Atque adeò, quo studio curabis
 ne illa desideres, quæ tuæ solùm voluntati sunt
 commoda, eodem & honores, & delicias præce-
 arcebis, & dolores, ignominias, paupertatem,

DEI tui voluntatem impleas,
 amplexaberis.



CONSIDERATIO

Pro Quinta Die.

De Conditione, in qua versaris, officio,
occupationibus, & usu Tem-
poris.

1. CUM DEUS hominem creaverit, ut vi-
tam aliquam socialem ageret, ingen-
teriam toti generi humano statuum & offi-
cium diversitatem constituit, tum ut admini-
straretur rectè humana Respublica, tum ut es-
set conveniens toti communitati occupatio. Et
quamvis Divina Providentia hanc totam sta-
tuum diversitatem in officia Ecclesiastica & Ci-
vilia, seu secularia & profana distinxerit, cuius
tamen, quem ad unum vitæ genus invitat, unâ
cum vivendi, quam offert, ratione, consenta-
neam etiam salutis procurandæ instrumenta sup-
pediat. Quæ cum ita sint, disquire tecum, num
quam, quam modò tenes, vivendi rationem tan-
quam à Divina manu oblatam susceperis, &
non aliud in illa nihil spectaveris, quàm majus
Dei Domini Nostri obsequium.

2. Certum est, quòd DEVS, cum suam cui-
usque occupationem distribuit, bonum commu-
ne potius attendat, quàm privatam personæ
C c 2 . singu-

singularis commodum, cui utique Divina auxilia sua ad arduum aliquem sanctitatis gradum dare posset in longè diverso vitæ statu: ad quantum pertinet, si quem vitæ statum animus est deligere, primò & præcipuè negotium bonum publicum curare debes, neque temporale aliquod tuum commodum, sed unicè curare, quid animæ tuæ futurum sit salutarium. Deus quidem tot ac tanta tibi auxilia largi potest, quot, & quanta volet, neque ullus eventus, in quo præsentè adjutricè gratia frui te non possit, sed quas, & quantas hujusmodi gratias daturus tibi sit, id equidem ignoras. Proinde quemadmodum Deus tentationum variis infestationibus sapientissimè te potest exponere, ita temerarius prorsus es, si proprio arbitratu ultro te hujusmodi discrimina implices.

3. Si moraliter immutabilis est ille vitæ status, quem amplexus es, serva illum tanquam aliquid, cui Divina te permissio alligatum velut, & de mediis tibi prospice, quibus vel salutem tuam opereris. Si verò non difficile relinquere potes, quod inchoasti, vitæ generè perpende tecum, an non aliud quodpiam magis ad salutem tuam proficuum possis inire, & coram DEO tecum examina, prudentiam

aper exquire consilia, iisque demum ac-
quiesce.

4. Contentus vive sorte tua. Noli ad sub-
limiora aspirare. Minores te non contemnas.
Nulli autem penitus te præpone. Omnes in eo
sumus, quotquot vivimus, ut longam aut bre-
vem, pro vitæ nostræ ratione, tragædiam aga-
mus. Quid jam interest, num Regem agas, an
Mercatorem, num Magistratum, aut Mancipium?
Satis egit, qui, quod sibi agendum erat,
excellenter egit.

5. Officium, quod geris, à DEO commis-
sum tibi puta; fideliter proinde omnes ejus par-
tes exequere. His enim passibus ad cælum pro-
peras. Rationem DEO reddes commissorum
negotiorum; ergo quidquid agis, tanquam ipso
inspectante perface. Cave totum te immergas
rebus, quas agis ex officij tui ratione, neque enim
id exigit Conditor tuus. Sed neque aliis te inuti-
libus curis pàtere opprimi, quæ impedimento
tibi sint, ne vacare pro debito possis commissis
tibi rebus.

6. Quod ad tuendam DEI Gloriam in of-
ficio tuo pertinet, id peculiari quadam cura
cordi tibi fac esse, & si ita res exigit, generosum
in hoc DEI tui negotio te præsta. Non deerit
DEUS pugnanti pro se. Si quid ad proximi fe-

licitatem conducit, fidelem te exhibe, ut si DEO prodesse velles. Si quid tibi denique proficuum occurrerit, moderatus esse stude. Plus lucri facit temperata solertia, quàm immodica sollicitudo. Tandem & illud cura, ne prævaricatrix natura juris aliquid tibi fingat, ubi jus nullum est.

7. Familiam tuam pro conditionis tuæ rationibus dispone, & pro norma honestiorum hominum praxin accipe, qui in eodem tecum statu versantur, ejusdem sunt nobilitatis & victus ergo, vestitus, domestici, habitatio, familiaritas cum aliis, & tota domus tuæ gubernatio ad dignitatis & facultatum tuarum rationem accommodata esto. Cave, cum conscientie tuæ periculo mundi leges sequaris.

8. Rectè fit, si jura tua, & consuetudines tibi quaestuosas tueri satagis, modò certus sis, hujusmodi non introducta primitus fuisse injuriam cuiuspiam usurpationis beneficio. Sed & illud curare oportet, ne subditos novis oneribus graves, abusus hanc in rem & auctoritate tua, & proximi necessitate. Certè Deus sic oppressos ipse vindicat.

9. Officij tui leges omnes accuratè, fac, observes; id enim jure quodam suo Respublica à te exigat, cui contraire nefas tibi esse noveris,

numque magnus sis. Quod alios virtutis studiosos in simili negotio videris fecisse, id & tu neglectum non velis; bonorum consuetudo lex debet esse irrefragabilis. Inferiorum jugum allevare potius, quam novo pondere augere debes, neque timere facile opus est, ne nimium aliquid hac in parte facias. Natura enim satis tenacis est ingenii in tuendis juribus sibi fructuosus, atque adeo ne excedas in lenitate, sua sponte tuis impedit.

10. Hoc primum esto, & animo quàm profundissimè impressum principium. Nil unquam agere deliberata mente, quod sit vitium, neque ullum in officij tui executione lædere: neque enim alia de causa commissum tibi à DEO munus est, quàm ut illo utaris saluberrimè. Fac ergo id omne bonum, quod debere fieri manifestè intelligis, & nihil dubita, quin ingenua hac solertia tua lucem adepturus sis ad intelligendum, quod adhuc ignoras. Contentus erit DEUS tuus, si id egeris, quod probè nosti, DEUM velle, ut agas.

11. Maturè tecum perpende, quanti intersit, tempus benè impendere, quem in finem oportet ordinatè tua ut agas, & ut hoc fiat, animus, opus est, ut rectè sit dispositus, atque adeo firmum, ratumque tibi sit, non vivere, nisi secundum rationis dictamina.

12. Vide, an non horas adhuc aliquas reper-
 turus sis interdiu, ab omni honesta occupatio-
 ne destitutas, & idcirco inutiliter diffuentes
 cum nimirum vel certum aetibus tuis ordinem
 non statueris, vel statutum non observes.
 Honestam animi relaxationem, quæ prandii
 um excipiat & cænam, non prohibeo, cum ne-
 cessaria sit hæc remissio omnibus, & tempus
 quod illi datur, nulla ratione perdatur, sed in-
 sumatur utiliter.

13. Rationem negotia tua bene per diem
 ordinandi ex hoc ipso, quem in exercitiis obser-
 vas, Diurno ordine potes desumere. Nunquam
 enim felix esses, si ita etiam deinceps ordinate vi-
 veres, ut modò agis: Paucis mutatis potes om-
 nem vitam tuam eodem modo ordinare: & si
 quæ fortè occasiones occurrent, quæ inter-
 rumpere jubebunt præfixum ordinem, in
 ipsis certa iterum statuta tibi sint, quæ nullam
 admittant dispensationem. Neque enim ge-
 neralem rectæ Rationis ductum fas est relin-
 qui, quamvis aliquando ob peculiarium causa-
 rum occurrentiam aliqua mutari necesse sit.

14. Quæ tamen ipsæ mutationes admitti non
 debent, nisi ita necessitas quædam adigat. Ne-
 que facile credes opinionibus illis, & persuasio-
 nibus tuis subito occurrentibus; naturalis
 enim

nam genius, & cæcus quidam ad certa agenda
impetis fallax admodum Consiliarius est. Illi
pompis affixus mane, quod post maturam deli-
berationem aliquando statuisti. Longè enim
tempore de hora surgendi, & dormiendi sincerius
iudicasti, quàm modò possis statuere, obversan-
te menti & præsentè voluptatula, facilè exæ-
citate Rationem. Ita de reliquis etiam rebus
est, in quibus omnibus rectissimè feceris, si id
constantè agas, quod sapienter aliquando de-
crevisti.

15. Cave, illa tibi persuasio ne perniciofa
sit, quæ multis imponit, longè de se, quàm fas sit,
sublimius sentientibus. Omnem hi tales ordi-
nem in rebus suis averfantur, ut ita DEI ad va-
riavitantis nutibus tantò, ut opinantur,
promptius possint obsequi: neque advertunt
tam iudices, quàm splendidè fallantur. Utique
nim DEUS ordini non adversatur, qui, quid-
quid fecit, in numero, pondere, & mensurâ sa-
pientissimè est operatus. Et libertas Filiorum
DEI, quæ passionum illos mancipatu eximit,
non utique subesse vetat, & obsequi legibus be-
ne & sapienter institutis.

16. In eventibus, qui prævideri non possunt,
si anceps hæres, num ad DEI gloriam expediens
futurum sit, si discesseris tantisper à præstituto
ordine,

C c s

ordine, mentem ad DEUM eleva, & à sapientissimo Spiritu lucem & consilium operire. Deinde, si urgens est negotium, id age, quod spiritali Præfecto tuo acceptius futurum putas, si moram res patitur, donec ab ipso consilium exquiras, statutum ordinem tuum serva.

17. Sanctis te cogitationibus & firmis animi propositis obarma contra Occupationem tuam, quam ex officio tractas, delicatas blanditias, quibus natura vel ob officij dignitatem, vel ob rerum agendarum placidam indolem, vel ob utilitatem denique quodammodo fascinetur, & ad nimium temporalium amorem trahitur, tanquam illicitis. Si enim ista tanquam actuum tuorum finem spectas, utcumque laboraveris studiosè, & operam perdidisti, & supplementum pro mercede recipies. Periculosiora in parte negotia sunt, quæ ingenii operam desiderant; nam & curiositati sunt obnoxia, & plerumque vanitates admittunt, neque major est superbix periculum. Fuge, quantum fas est, exitiales has pestes.

18. Quemadmodum cavere debes, ne in temperanti quodam naturæ impetu in id, circa quod occuparis, tanquam tibi jucundum rapere, ne plus jacturæ, quam læcri facias; ita curare debes, ut, quamvis nullo naturæ motu ad ea

firis, quæ officij tui sunt, alacriter tamen & animose ea suscipias. Cave igitur, ne quod agendum Dei voluntas imposuit, id negligent, & perfunctoriè quasi facias.

19. Si plura, quæ agi possunt, accidit concurrere, nullo vide naturæ te propellentis impetu rapiatis; frange potiùs, & doma rebelles illos motus, & siquidem per conscientia Religio-nem licet, etiam contrarium illi, quod natura videt, aggredere. Hoc age in omnibus, ut DEO tuo placeas; ab ipso exposce subsidium: neque dubita, quia, qui hunc in finem præfenti negotio occupari voluit, aptam quoque cæli-tas gratiam additurus sit. Nunquam mundi se-ctare judicium, nunquam populi inanem plau-sum desidera. Si sincerè pro DEO tuo laboras, laboris etiam mercedem, omni humano præ-mio superiorem, hoc est Divinam recipies.

20. Stude, ut industriam tibi quandam com-pares, frequenter in laboribus tuis DEI me-moriam habendi, idque usu ipso solerter exe-quare, certus, quod sine ingenti fructu id neu-quam contingat. Inchoanti fortassis diffici-le videbitur, quod nunc suadeo, sed ipso tempo-ris decursu eam facilis erit hujusce rei usus, ut non impediturus tantùm non sit, quæ tracta-tus negotia, sed ad felicem insuper exitum omnia

omnia perducitur, & promoturus. Lætus enim
& alacris animus longè promptius in rebus
suz commissis versatur,

Quanti momenti sit Sexta Dies
Exercitiorum.

Ad finem quintæ hujus Diei pauca hæc
vertere volui, ut intelligas, quanti inter se
turam Diem bene impendere, ut adeò operæ
tium sit, ad illam peculiari quadam indus-
te præparare, & impensè Divinam ad id Bene-
dictionem, largiùs tibi infundendam
stulare.

Videbis enim in secuturis meditationibus
tres S. Ignatij considerationes, quæ non sunt
communis ordinis in negotio spirituali
vitæ.

Prima est in meditatione de duobus vexillis
& ad virtutem humilitatis pertinet, quæ
S. Ignatius unico duntaxat verbulo disertè
commendat, quàm bene multis voluminibus
possit fieri. Lege, si placet, attentè ea, quæ ad ex-
plicandam meditationis illius efficaciam
tuli.

Secunda est in meditatione de tribus modis
Humilitatis. Ubi explicatur, qualis sit Humi-
litas, quam S. Spiritus tanti facere docuit S. Ignatij
tium.

Tertium

Tertia est in meditatione de tribus Classi-
bus, & servit ad eximendum multis errorem,
quo nescio quid sanctitatis sibi gratulantur,
quod bonæ voluntatis aliquid animo injectum
sentiant, & quod consenserint semel atque ite-
rum incitanti ad bonum DEO.

Quemadmodum autem triplex hæc meditatio
multum ad profectum tuum momenti ha-
bet, ita neque ex consideratione attentè obita-
tus lucrum reportabis; quando magnos in
Virtute progressus te docebit per totum anni de-
cursum facere, donec te primò iterum
colligas.

